

F.R. 57. (10)

Z 6
5264

X 352 1716

R E C T O R
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIVS FRIDERICVS
K R A V S D.

DIGESTI INFORT. ET NOVI PROF. PVBL. ORDINARIVS
CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINA-
TVS AC FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSOR ITEMQVE ORDI-
NIS IVRIDICI H. T. DECANVS

C H R I S T I A N I
H A N A C C I I

V. ILL. I. V. D. COD. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE
PROVINC. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR.
EIVSDEMQUE SENIORIS

A. D. VII. KAL. AVG. MDCCLXV.

BEATA MORTE FVNCTI

VITAM, ET EXEMPLVM,
ET MEMORIAM,

ET

SVPREMOS HONORES
CIVIBVS

COMMENDAT.




REGTOR
ACADEMIAE VITBERGENSIS
GEORGIVS FRIDERICVS
KRAVS D.

DIGESTI IMPORT. ET NOVI PROF. RYND. CEDIVARIVS
CVRIAE PROVICIAE CONSISTOR. ECCLIA. VITBERG.
VTS ACACQ. VITBERGIVM. ASSessor. HANNOV. GEBE.
VITBERG. VITBERG. VITBERG.

CHRISTIANI
HANNOV. CIVIS

VITBERG. VITBERG. VITBERG.
PROVICIA. VITBERG. VITBERG.
VITBERG. VITBERG. VITBERG.
VITBERG. VITBERG. VITBERG.

VITAM ET EXEMPLVM
ET MEMORIAM
ET
SVPERIORS HONORES
CANONVS
COMENDAT



Praeclare, sapientia regendae rei publicae nemine inferior, ipsis rebus gestis, tum praeceptorum huius scientia copia abundantissimus, conscriptis de re publica, et de legibus, libris, M. Tullius olim dixit: ut corpora nostra sine mente, sic ciuitatem sine lege, suis partibus, ut neruis ac sanguine et membris, uti non posse. Nec inscite alius, ciuitatem, cui aequi iuris executionem subtraxeris, similem fieri campo, ingruente pestilentia, scribit, in quo nihil videre aliud sit, quam cadauera, quae iaceant, et coruos, qui lacerent. Et haec quidem quum eo pertineant, ut intelligatur, quantum praestantiae, utilitatis, et dignitatis, in legum ferendarum, tractandarum, atque exsequendarum peritia insit, tum aliunde haud est obscurum, quantum societati hominum ciuili tam ad salutem et veram utilitatem, quam ad honestatem, cultumque atque commoditatem praestent, qui talia munia, ex ipsa professione sua suscepta, integrius, sanctius, et diligentius administrant. Ita verissime profecto Iulianus iudicauerat, quum neque leges, neque senatus consulta ita scribi possint, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, aut omnes articuli singulatum, iis comprehendantur, necessariam esse prudentum interpretationem, et quum in aliqua causa eorum, quae legibus constituta sunt, sententia certa sit, eum, qui iurisdictioni praesit, ad similia procedere atque ita ius dicere debere. Atque hanc sane interpretationem ipsam expressius ius ciuile veteres dixisse, Pomponius auctor est; non aliam, ut credibile est, ob causam, quam quod haec iuris pars scriptis legibus multo latius pateat, et ipsum demum idoneum legum usum regat. Sed quanta demum omnia haec, quae diximus, alicui ciuitati darentur, si non essent, quorum opera ad posteros propagarentur, aliquot certe hominum, tam salutaribus ministeriis iustitiae fungentium, aetatem duratura ista felicitas foret. Quare egregie ut pleraque alia, perpendisse hanc rem Socrates videtur, quando utiliores generi humano esse statuit, qui multos ad rempublicam gubernandam idoneos forment, quam qui ipsi eam gubernent. Quo in genere, ad quos iustius principatus veluti quidam deferendus erit, quam ad legum in academiis interpretes publicos et doctores, eosdemque constitutos iustitiae in dicundo iure administratos perpetuos?

Inter hos verae, grauis, et solidae gloriae praemiis dudum apud nos nobilitatus fuit CHRISTIANVS HANACCIUS, Vir Ill. I. D. et Prof. P. Ord., sui que ordinis demum senior, iudicique prouincialis et duorum dicasteriorum ciuiliu adestor, quam diu tot amplissimis muneribus praefuit, meritissimus; qui, quod ad laudis materiem et virtutis documenta, et communis

munis naturae legem attinet, satis extendisse vitam quum ceneri possit, dolentibus tamen nobis amissionem commodorum, quae nemo luculentiora rei publicae praestabat, per hos dies ipse ereptus simulque insigne religionis et vitae exemplar eius beatissimo obitu oculis subtractum est. Lucem adspexerat Vitebergae prid. Kal. April. A. superioris Saeculi XCII. genitus patre Ioanne Hanaccio, ciue honesto et istis temporibus locuplete atque muneribus publicis variis, quae fidei et probitatis existimatione ad spectatos tantum deferuntur, cum laude perfuncto, et matre Maria Elisabetha, quam filiam Christiani Schubarti, rei tormentariae intra munitiones Vitebergae designatoris, legitimo matrimonio sibi iunxerat. Quomodo a parentibus ad religionis praecepta et morum disciplinam studiosè domi formatus, et in scholam Seruestanam anno XIV. aetatis missus, in pueritia iam igniculus ingenii ostenderit, vt non alia commendatione Dresdae postea gratiam viri cuiusdam illustris sibi pepererit, qui communi cum filiis suis institutioni ipsum tradiderat, vel fortuna, quae postmodum respexit, docuerit. Anno huius saeculi XI. ad nos reuersus, et ciuibus academiae a Vatero Rectore adscriptus, octennio tam firmos studiorum progressus fecit, vt, consueta et publica in ea inquisitione facta, ab ordine iuris consultorum inter candidatos summorum eius honorum referretur, quos tamen antea capessendos non duxit, quam plura publicandi ingenii pericula scribendo et docendo fecisset. Hoc igitur strenue dum agit, respondit votis prosperrimus successus, qui publicae existimationis praerogatiua confirmatum induxit, vt prid. Kal. Mart. A. huius saec. XX. doctor iuris creatus coeptum hunc cursum tanta contentione continuaret, quanta requiri poterat, vt iudicia hominum, in plorationes clientum, desideria et adfectus studiosorum, in foro et in auditoriis, bona et laeta spe omnibus maioribus ad impetrandum Principis et Summi Regis fauorem prae-lucerent. Hic vero adeo nec defuit, vt iam XXXV. ante annos professionis iuris Saxonici publicae munus obtinuerit, donec mox aliis ordine ampliorum dignitatum gradibus adscensis, et professionis iurium in primis ordinariae XX. iam ante hos annos, ad hos, in quibus de mortali statione decessit, euectus fuit. Sed pertinent haec fere ad sortem vitae priuatam, quam nactus noster hic fuerat, et quam temporis, tam chartae, spatio ab hac descriptione excluduntur; quum praesertim, qui ad parentandum delectus est, IO. GEORG. NICOL. HACKER, v. PL. R. plura et exactiora de iis sit adlaturus. Duo tamen omittere non possumus. Vnum, coniugium fortunatissimum, quo in rebus humanis nihil ceneri solet omnibus sapientum et bonorum votis

tis magis expetendum, Hanaccio nostro XLV. abhinc ante annos contigisse, quum bono auspicio domum duxit virginem lectissimam Sufannam Fridericam, filiam Io. Georg. Herwagii, domini hereditarii Stanauiae et Mediopilnitii, Pot. Reg. Pol. Pr. Elect. Sax. delecti ad secretiora rerum fiscalium mandata cursu feruialium perferenda nuntii, natu primam; e qua V. filios, IV. que filias susceperat, quorum superstites duo filii, totidemque filiae virgines, nunc tristissimo luctu occupati sunt. Quanta concordia, honestate, munditia, conspicuam domum clarissimam beatum par hoc effecerit, omnium inter nos conscientia continetur. Alterum, quod nos hic tacere non posse in rebus priuatis Hanaccii, quondam nostri, nunc coelitem collegae, professi sumus, illud erit, totam vitam eius singularibus diuinae prouidentiae et bonitatis muneribus singula per quinquennia distinctam fuisse, tam manifeste quidem, vt dignum hoc argumentum IV. hos ante annos ipse Rector Academiae, magistratum successori tradens, duxerit, quod facundae et religiosae pietatis, vt bene recordamur, plenus in purpura, quae obliuisci potius, quam meminisse, dei, leues interdum animos docere visa fuerit, exsequeretur; quam sane orationem eius, vt de toto vitae laudatissimo decursu pleniora paullo innotescant exemploque profint, vt publicet clarissima familia superstes, vbi mitigato saltem luctu et dolore licuerit, hic publice rogamus. Superfunt vero haud paullo ampliora et vberiora, quibus ostendamus, quid in Hanaccio, non sui tantum, quanquam et illorum vulneris magnitudinem pro communi humanitate aestimare possimus, sed nos ipsi quoque amiserimus, quatenus commoda publica laborum eius memoriam non sine acerbitalis quodam sensu renouant. Ista iuris Saxonici professio, a qua auspiciis reliquarum dignitatum habuerat, tempestiue occasionem dederat, animaduertendi erroris eorum, qui regendae nostrae rei publicae artes a folis Graecis, Romanis, Langobardis, ante nostram patrumque memoriam quum ducerent, media ipsa in Germania, nedum in Saxonia, hospites malis generis humani tam imperite in componendo ciuitatis statu occurrere voluerant, vt medicis similes fierent, qui, non obseruata coeli et regionum natura, ex Hippocrate, Galeno, Auicenna, lilio medicorum Montis pefulanorum, schola Salernitanorum, telesticisque curationibus Arabum, Persarum, Chinenfium, Neapolitanorum, Aragonum, peregrinas herbas pro communibus remediis venditarent, in quibus sola climatum temperatio et corporum secundum hanc fabrica obseruatis peritorum magistrorum respondent. Itaque totum eo se contulerat, vt ad excolenda haec iurisprudentiae studia non necessaria solum ab historia in vniuersum comparanda subsidia duceret; sed antiquissimas quoque gentis nostrae leges,

e quibus optime perspicere originem institutorum, consuetudinum, et iurium, in litteras non redactorum, aut quorum monumenta non existent, scrutandas existimaret. Quo in labore tantum operae pretium fecit, vt XVIII. numero lucubrationes absoluerit, quibus delecta iuris patrii argumenta partim copiose tractauit, partim ea, quibus ad eius intelligentiam studiosis instrumentum expeditius praeparatur, delibauit, vt multis praeclare obseruatis, haec qui amplius cognoscere studeant, sese adiuuari fateri cogantur. Eminent inter reliqua ingenii monumenta commentarius, aliquot ante vitae finem annis elaboratus, quem, praeparationem ad iuris Saxonici disciplinam inscriptum, hoc ipso anno publicauit, refertum quum multis acute cogitatis, tum plenum copiosa materia, quam sumant atque tractent, qui feliciter iuris et legum Saxoniae ab vltima memoria ad nostra tempora ortum et progressiones inuestigare cupiant. Et si quid ad laudem huius operis valiturum est, hoc certe inter intelligentes quosque valebit, quod nondum locupletius et instructius quidquam existat, in quo Principum Saxoniae, quam superiorem dicimus, constitutiones inde a Frederico, qui bellicosi cognomen ex suae aetatis ingenio nactus erat, adcuratius enumerentur, erudite passim illustrentur, et rei publicae prisca decora amantibus, veluti ab obliuione quadam vindicatae et collectae denuo, porrigantur. Dignissimum vero omnium omnino, qui haec studia, quanti par est, aestimare norunt, attentione opus superest, non adfectum saltem, sed maxima ex parte, si non totum, consummatum, litteris et chartis domi certe mandatum, ab heredum piorum cura, et ab aestimatorum rerum patriae amicis auxiliis expectare potest, vt in lucem et ora virorum doctorum protrahatur. Ipse eius elegantissimam adumbrationem et partitionem, sub titulo iuris civilis Saxonum communis, in vsus publicos et academicos tribus libris comprehensi, cum enumeratione reliquarum suarum lucubrationum quatuor sunt anni, quod publicauerat. Ipsa summa capitum indicata sollicitas cuiusuis de rebus patriae non fastidiosae iudicantis gustum; tantum abest, vt secius aliquid de opero-fissimo adparatu suspicari liceat, quem vir, tot aliis rebus, et grauissimorum munerum religiosa administratione, tam diu spectatus, sollicitus, prudensque, et ipso vsu negotiorum rei publicae subactus atque exercitatus, congesserat. Nos certe testari hoc possumus, fide optima, et dubitaturis litteras autographas nonnullorum monstrare, saepius ab ipso postulatum fuisse, vt particulas quasdam decerptas ex isto opere aliis, aliena plerumque industria, suae inopiae opitulante, fretis, publicandas committeret. Eo ex genere hominum recordamur sane quam adcurate, et ipsam manum seruamus, cuiusdam grandium

diū voluminum, quibus scriptores rerum Saxonicarum com-
prehendit, ipse nihil suum, sed omnia ab amicis impetrata, pu-
blicans, editoris, qui quantouis pretio istam de transuersis in
clypeo Saxonico ensibus, alteramque, de antiquissimis insigni-
bus et sigillis Saxonice elicere ex auctoris manibus conatus erat;
sed repulsam tulerat, quia opus suum, integrum neque conta-
minatum, emittere in publicum noster decreuerat. Sed nec
sic, ius patrium vt excoleret, alia etiam iurisprudentiae verae,
nec simulatae, principia neglexit, sed ex iure etiam Romano,
clientelari Germaniae, sacro, auocato eo, ab hominum et Pon-
tificum Romae fordidis in comparando quaestu artificis, talem
se praestitit, vt non ex scriptis eius minus, quam datis respon-
sis, agnoscere veri amantes possent, quam iuri diuino, ab ipso Deo
tam sacris in oraculis publicato, quam illi, quod naturalis no-
men accepit, quia eius sensus ipsa natura magistra ab homini-
bus, corruptis etiam iis, et veram virtutem pristina defectione
fugientibus, percipiatur, omnia attribuerit, et, quod his saluis se-
eundum instituta humana iustum esse adpareat, sic vbique ser-
uauerit, vt in neminem maiore iure cadere potuerit, quod de
Fabricio Pyrrhus dixerat, facilius solem a cursu suo, quam hunc
a iustitia auerti posse. Ita certe vivebat, ita docebat, ita in con-
siliis rei publicae dandis et causis etiam priuatorum diiudican-
dis semper versabatur, vt Deo, quam hominibus, ad reddend-
dam rationem paratior esset. Quo ardore piae mentis veram
amplexus religionem fuerit, et quantum sanctissimi numinis cul-
tui diligentiae et sollicitudinis impenderit, vt tota acta vita pro-
bari, vidimus, ita nihil magis probauerit, quam ista probitas in-
tegritasque, qua muneribus, sibi creditis, praeesse consueuerat.
Ter huius academiae summum magistratum, annis saeculi, quo
viiimus, XLIX. LV. et LXI. gesserat; nullam tamen maiorem
voluptatem vllis ex laetitiae inuitamentis, quae ista summorum
Principum auctoritate constituta amplitudo honoris atque po-
testatis habere creditur, perceperat, quam fortuitum euentum,
vt anno, quo diximus, LV. Rector Academiae, saecularia al-
tera pacis, religioni puriori armis partae, ipse prouidentia
summa, alacritate non minore, concelebranda curaret;
per quam occasionem eius de rebus diuinis sensus, in-
gensque pietas, non profecto nobis minus, quam exteris,
huc certatim ea de causa conuolantibus, sine furo et fal-
laciis patuere, vt nemo citium, qui tunc praesens fuerit,
etiamnunc obliuisci virtutum eius temere possit, qui haec
inter summa, ob quae vixisse suae duceret, momenta refe-
renda iudicasset. Atque hunc virum, iustitiae profecto sacer-
dotem castissimum, quum initio fortunae, variis tempestatibus,
vt solent mortalia habere, virtutem explorantis, impetus reli-
gione

AK 26 5264

VD 18

gione et prudentia tutissimus, facile declinasset, valetudinis tamen, quam ad senectam vsque firmissimam et prosperissimam habuerat, occurrere imminutioni tandem non potuisse, quis miretur? Senectutem ipsam morbum iam veteres dixere. Cogitemus studia, labores, vigilias, et inter laeta atque tristitia saepius agitatam animam; corpus vero, hominis, litteris dediti, in quo senium ante annos venire solet! Et nihilominus LXVI. vita annos impleuerat integros, quum vetus malum, quod haemorrhoidum nomine ab antiquis medicis adpellabatur, intestinis debilitatis, tanta vehementia incubitum, nunc in effectus proruperit, apopnxi simillimos; nisi quod tres per menses et aliquot dies, datis quasi induciis, paulatim ingrauescere, postremum vero, dimidii mensis spatio, tanta vi superare naturae validissimae vires coepit, vt manibus suorum sustentatus per cubicula respirationis pulmonum causa circumducendus esset, donec postremo triduo in lecto recubans, quum officium amplius membra negarent, inter fidissimas curas HANCKERI, V. PL. R. cui animam, deo reconciliatum opportunè sacris ministeriis et adloquiis ad futuram felicitatem praeparandum commiserat, et BOEHMERI, V. Magnif. et Amplif. quem corpori, quoad deo visum esset, medicaminibus conseruando, adhibuit, placidus et tranquillus ex immanibus nostris his procellis, in Christi liberatoris aeterna patria portum nactus, a. d. VII. Kal. Aug. se subduxit, nosque omnes exemplo quam salutari, tam singulari admonet, quam nihil tribuendum fluxis et inanibus huius mortalis acui sit, et quam omnia eo potius dirigere vt studeamus, impiis etiam non ignota, eaque a Deo immortali patefacta, ratio cogat, vt cum huius ergastuli, foedi atque squalidi, Adami Euaeque per culpas, imo nostras omnium omnes, sordibus et miseris beatorum et Christi consortium, munditias, atque maiestatem commutandi spe viuentes adhuc adfirmata impertiamur. Vos vestri, CIVES, quid futurum sit officii facile animaduertetis, si cogitabitis anorem, quo VOS semper prosequi consueuerat, quem moestitiae publicae insignibus effertimus, HANACCIVS; vnde nihil est dubitandum, quin et honoris eius supremo omnia iusta et decencia officia tribuatis, et, in FAMILIAM CLARISSIMAM debita ipsi, diutius si vixisset, studia transferendo, indicaturi sitis, virtutibus viuentium sic VOS sapere, vt, mortuis ipsis, has adhuc superstities aemulari in animos vestros, inducat. Aeternitati enim viuendum est, sine cuius cogitatione omnia, quamuis magna et sublimia, erunt abiectissime adrepta. P. P. III. Aug. A. R. S. Kal. c. 13. 13. CCLXV.

VITEBERGAE, TYPIS VIDVAE E. HICHSFELDI.



F.K. 57. (10)

Z 6
5264

X 352 1716

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIUS FRIDERICVS
KRAVS D.

DIGESTI INEORT. ET NOVI PROF. PVBL. ORDINARIVS
IALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI SCABINA-
TATIS IVRIDICAE ASSESSOR ITEMQVE ORD-
NIS IVRIDICI H. T. DECANVS

CHRISTIANI
ANACCII

D. COD. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE
ABIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR.
EIVSDEMQUE SENIORIS

VII. KAL. AVG. c1915CCLXV.
EATA MORTE FVNCTI
I, ET EXEMPLVM,
T MEMORIAM,

ET
MOSHONORES
IVIBVS

COMMENDAT.

